S. VIII. 33.

# EPITHALAMIA.
SACRA
FESTIVÆ NVPTIARVM
SOLLENNITATI,
*Quam*
ORNATISSIMVS VIR,

# DN. ADAMUS
Krumbhein / Wriezenſis, Civis, ac Mercator
induſtrius,
*CUM*
Lectiſſimâ, & florentiſſimâ Virgine,
## ANNA,
*Viri ampliſsimi, ac prudentiſsimi,*
DN. PETRI Schulzens / apud
VVriezenſes Conſulis digniſſ:
FILIA,
*feliciter inſtituit*
*VVRIEZIÆ-AD-ODERAM, Cal. Sept. ipſo*
*Ægidij die Anno DEI-HOMINIS*
CIↃ IↃCC XXIII.
*Cantata ab Amicis.*

STETINI, Typis NICOLAI BARTHOLDI.

(45)

# I.

IVPPITER eſt Plauto (a) tralatâ
(voce Maritus,
IVNOq; Conſimili juncta
Marita modo.
Illud ADAMVS idem KRVMBENIVS ex-
(primit, optans:
IVPPITER ut fiam, IVNO ſit ANNA
(mihi!
Rectiùs ob Patrem primævum optâſſet
(ADAMVM;
IVPPITER ut fiam, IVNO ſit EVA
(mihi!
Sed bene habet, meliusq; dein, quùm
(tempore juſto
Iuppiter ille pater, Iunoq; mater erit.
Hæc ubi Plautus, Ego hunc corrupi in
(margine verſum:
Iuppiter ut fiam, Iuno ſit - υ mihi!

*(a) Caſina act. 2. Sc. 3. v. 14: Stalino ſenex ad Cleoſtratam Uxorem: Eja, mea Iuno, non decet te eſſe tàm triſtem tuo Jovi.*

Expleat

Expleat hanc, quæcunq; ſit, una, ſed apta, lacu-
(nam,
Nec nimium juvenis, nec nimium vetula.
Inter utrumq; cadens hodie mea labitur ætas;
Et media hinc medio Iuno ſit illa Iovi.

*Matth.* Reimmann.

---

*IDEM*

*IN UXORUM OCCUPATIONES DUAS,*

*EX Prov. Phil. Melan. Germanico:*

Wenn die Weiber Waſchen / vnd Backen/
ſo ſitzt Jhnen viel Vngedult auffm Nacken.

*QUANDO impura lavant IUNONES, puraq; pinſunt,*
*Impatiens animus rebus utrinq; ſedet.*

*CONSILIUM.*

*NEGLIGERE imperium tùm temporis optima (res eſt,*
*Credo, nec in proprijs ædibus eſſe IOVEM.*

Der Mann laß ſie Regieren dann/
Geh weg / vnd kehr ſich nichts daran.

*SI LIBET LICET.*

 ALIUD.

## ALIVD.

IN thalamum Veneris laſcivæ captus amore
Qui cupit uxorem, ducere, cœcus erit.
Vt mens caſta DEVS; ſic ſanxit fœdera caſta
Rumpit & illicito vincula pacta modo.
Formaq; quid celebris? nihil; illicò, more pereſi
Veſtitus tineis defluit ille vigor.
Quid largo forſan fallacis munere Dotis,
Motus? jus auro vendidit omne ſuum.
Præſtat ad in cœlſi nutum ſua ponere vota
Hic qualem elegit, cuilibet ipſe dabit.
Hoc Sponſo ſpectante ſubit dum fœdera lecti
Et pulchram & caſtam divite dote capit.
Ergo hos cum ſacri conjunxit lege verendâ
Author conjugii, fautor eritque DEVS.
Sollicitudo, dolor, rixæ, lis, jurgia, livor
Diſceſſura procul, nec nocitura Thoro.
Nullus amarus amor ſed amara remota manebunt
Pectora connectet, mutuus ardor, amor.

Natorum longa numerabunt ordine natos
Linquentes mundum cœlica regna petent.

*DANIEL CRUGERIUS*
*Cantor.*

## *III.*

# ANACREONT.

*PParoemiam & vetuſtam*
*Habemus & venuſtam:*
*Habemus & venuſtam*
*Paroemiam, & vetuſtam,*
*Jn hunc modum ſonantem:*
*Benè nuptiæ inchoatæ*
*Perſæpè diſsipatæ*
*Non finiuntur unquam;*
*Paphius puer ſagittis*
*Ardentibus ſagittis*
*Volantibus ſagittis*
*Tectè ſolet ferire*
*Nova pectora atq; corda;*
*Faciemq́; perpolire,*
*Formoſa ſit vel atra.*
*Næ nuptialis acta*
*Hic exitus probavit*
*Paroemiam vetuſtam*
*Paroemiam venuſtam*
*Paroemiam eſſe juſtam.*
*Nam quinq́; ſeptimanæ*

Bis, & una ſeptimana,
Abière vix in orbe,
Ubi nuptias alacres
Et nuptias celebres
Et nuptias ſuaves
Gnato ſuo Dynaſta
In oppido hoc Bricenſi
PRÆTORIUS ſupremus
Faciebat & parabat.
Ibi Teliger Deorum
Erat, notans abundè
In amante concitatam
Quovis vapore flammam.
Pro cœteris puellis
Aſtutiam novellis
Struebat hiſce Sponſis.
Juvenem politum ADAMUM
Ducebat ille captum:
Et ANNULAM pudicam
Ducebat ille captam:

Audax adhuc recluſos
In vinculis retentat.
Fors intereſt & hiſce
Convivijs paratis
Promptâ manu paratis
Largâ manu paratis?
Quid ergo? ego maligno
Livore mallem adire
Præſentium â Phalange
Saltantium â Phalange
Lætantium â Phalange
Admiſſum? id abſit! abſit!
Interſit! omne verbum,
Nugas, jocos, ſalesq;
Amantium puellas
Obſervet & reſervet!
Quemcunq; vulnerabit,
Is nuptias parabit,
Et me ſimul vocabit.
Interſit! omne verbum,
Riſus, facetiasq;
Amantium puellos
Obſervet & reſervet!

Quam-

Quamcunq́ vulnerabit,
Ea nuptias parabit,
Et me ſimul vocabit.
Tandem jocatus, æquè
Vobis, ADAME & ANNA.
Sponſis utriſq́, paucis,
Quæ fauſta ſunt, precabor.
Diſcordiæ Patrona
Eris procul recedat
Ab ædibus, ſacellis,
Cubilibusq́ veſtris
Beet JEHOVA cuncta,
Benedicat atq́ cuncta
Sub palmâ utraq́ veſtrâ!
Det prole copioſâ,
( Et prole maſculinâ
Et prole fœmininâ )
Alimoniam futuram,
Habitum, ſtolamq́ puram!
Diuturnitas dierum
Poſt luſtra multa vitam
Vtriusq́ perbeatè
Claudat! precor, precabor.

CHRISTOPH: FRANCVS Docentium in Sch. VVricenſi ad Od. Collega.

FINIS.



921116 Bibliotheca 105 000
P.P. Camaldulensium in Bielany
Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393
S.VIII.33